

28, 28

# Jahresbericht

des

Königl. Friedrichs - Gymnasiums zu Breslau,

durch welchen

zu den am 2. und 3. April 1868

stattfindenden



## Prüfungen und Schulfeierlichkeiten

ehrerbietigst und ergebenst einladet

**Prof. Dr. Lange,**

Prorector und Directorats-Verweser.

---

### Inhalt.

Quaestiones Aeschyleae. Scripsit Dr. R. Menzel.  
Schulnachrichten. Vom Prorector.



---

**Breslau.**

Druck von C. H. Storch und Comp.

9br  
30 (1868)

11/11

# Jahresbericht

Königl. Friedrichs-Gymnasium



## Prüfungen und Schulleistungen

Prof. Dr. Lange



# Quaestiones Aeschyleae.

Scriptis

Dr. R. Menzel.

## I.

In Choeph. v. 195 seq. (Dind.) haec fere in libris leguntur:

εἴθ' εἶχε φωνὴν ἔμφρον' ἀγγέλου δίκην,  
ὅπως δίφροντις οὔσα μὴ κινυσόμην,  
ἀλλ' εὖ σάφ' ἦν ἢ τόνδ' ἀποπτύσαι πλόζον,  
εἶπερ γ' ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος,  
ἢ ξυγγενίς ὧν εἶχε συμπενθεῖν ἔμοι,  
ἀγαλμα τύμβου τοῦδε καὶ τιμὴν πατρὸς.

*Εὖ σάφ' ἦν* primus bene correxit Wellauerus, quum ipse Mediceus ἀλλ' εὖ σαφηνῆ exhibet. *Εὖ* ne cum aliis in suspicionem vocemus, efficit vel scholiastae auctoritas, qui ad hanc vocem ἀκριβῶς adnotat. In ea emendatione quum non acquiescerent, alii alia protulerunt partim speciosa magis quam vera, velut Porsonus<sup>1)</sup> ἀλλ' εὖ σάφ' ἦδη et ἀποπτύξαι. Hermannus autem quum et Medicei et scholiastae testimonio neglecto Erfurdii conjecturam ad Soph. Aj. p. 626: ἀλλ' ἦν σαφηνῆ recipit et εἶτα pro εἶχε (v. 199) scribit, dubito an eis tantummodo probetur, qui adhuc poetae nostri dictionem planam atque expeditam esse nolint. Atque eo minus est causae, quod in ea conjectura longus sim, quum ab eis certe qui hanc fabulam ediderunt omnibus improbata esse videatur. Schützius ἀλλ' ἢ σάφ' ἦν μοι et in v. 200 τιμῆ edidit, quem secutus est Dindorfius ita tamen, ut codicum scripturam τιμὴν retineat. Modestius hoc loco Weilius se gerit, qui ob eam quidem rem laudandus est, quod librorum lectionem εὖ σάφ' ἦν ἢ mutationis indigere negat, sed in eo fallitur, quod τιμὴν ferri posse arbitratur. Itaque quum res ita sit comparata, ut singula singuli recte intellexisse videantur, omnia nemo mihi probet, ab animo impetrare nequeo, quin quid ipse de hoc loco sentiam exponam.

Ac primum quidem Nägelsbachius, quum haec dicit:<sup>2)</sup> „Ad εὖ σάφ' ἦν duo aptantur ἦ, diversa utrumque structura; neque enim oratio inceptum tenorem servavit. Debebat enim sic continuari: ut exploratum esset aut respuere cincinum illum, aut ut cognati capitis suscipere et revereri“ hactenus recte, sed quum pergit: „Nunc autem abrupto structurae tenore verba conversa sunt in interrogationem, ut haec sit informanda nobis structura periodi: ut planum esset, sitne respuendus an suscipiendus ille cincinnus,“ haec jam, quamvis pulchre sint excogitata simulque primo aspectu speciem quandam probabilitatis prae se ferant, tamen recta esse

<sup>1)</sup> Adv. p. 159.

<sup>2)</sup> in emendationibus et explicationibus Aeschyli, Abhandlungen der Kgl. Baierischen Academie der Wissenschaften. I. CL. VIII. Band. II. Abtheilung.

nequeunt. Sive enim imperfectum εἶχε sic per modorum parallelismum, si hoc verbo uti licet, ob eandem causam dictum judicās, propter quam ἐκινυσόμην, sive idem valeret, quod ἦσθα in v. 243: πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων, „fidus tum eras, quum venisti et adhuc es,“<sup>3)</sup> ut haec esset nostrorum verborum sententia: „Cincinnus tum quum in tumulo depositus est, causam habebat lugendi et adhuc habet,“ tamen haec constructio manifesto officit ei quam desidero simplicitati et implicatior exquisitiorque est, quam ut hic ei locus esse possit. Ut vero adhuc Nägelsbachius quamquam loci rationem mea quidem sententia non plane perspexit, tamen id bene fecit, quod librorum scripturam tuendam et explicandam sibi proposuit, ita in eis, quae praeterea ad hunc locum affert, vehementer vituperandus est. Nam quum εἶχε ab ea quam proposuit ratione abhorrere videretur, post εἶχε et ἐμοὶ virgulis interpositis, quae sequuntur ἄγαλμα et τιμὴν ex verbo εἶχε suspensa esse vult: „an cognatus aliquis talis, qui lugeat mecum, decus illud hujus tumuli et ornamentum patris habuerit.“ „Fraudi fuit, inquit, interpretibus praetermissum ad ξυγγενῆς ὧν pronomen τις: inde factum est, ut adjectivum ξυγγενῆς copularetur cum πλόκος omnesque ferrent Electram satis inepte hoc optantem, ut ille, si cognatus esset, secum lugeret cincinnus.“ Cujus structurae ratio quum, ut ita dicam, vim afferat Aeschyli verbis, non credas, fore cui probetur. Attamen Schillerum video eam laudare<sup>4)</sup> εἶχε in εἶσε mutato, quam vocem neque a quibus tragicos neque omnino in eis qui vetustatem pertulerunt libris ea qua hic opus est significatione inveniri, ipse Schillerus confitetur.<sup>5)</sup> Sed primum quidem falso Nägelsbachius ξυγγενῆς ὧν pro ξυγγενῆς τις usurpari posse opinatur. Nam quum ea re contineatur natura participiorum, ut, quae ipsa nullam habeant προσώπων παρέμφρασην, tantummodo vel subjectum vel objectum enuntiationis accuratius determinent semperque ad aliquam rem aut personam referenda sint, apertum est satis, nunquam ea per se subjecta posse existere. Quodsi tamen inveniuntur loci, quibus nullo subjecto expresso ipsa participia subjecti munere fungi videantur, semper debemus ea ad eam quae in ipso verbo latet subjecti significationem referre, velut in Agam. v. 69, ubi haec loquitur chorus;

οὐθ' ὑποκίων οὐθ' ὑπολείβων<sup>6)</sup>

ἀπύρων ἱερῶν

ὄργας ἀτενεῖς παραθέλλει.

Scilicet ut proprium est chori uti quadam obscuritate et sententiarum et verborum, ita manifestum est, generalem hanc esse sententiam, et παραθέλλει generaliter dictum de quolibet, qui sic deorum iram placare vult. Latet igitur in παραθέλλει ea notio, quae loci ac sententiae ratione habita quadam cum necessitate supplenda est, ut omnis ambiguitas prohibeatur et alius quoque

<sup>3)</sup> Repraesentat igitur quasi sibi Electra praeteritum tempus.

<sup>4)</sup> 20. Jahrgang der Zeitschr. f. Gymnasialw. p. 412.

<sup>5)</sup> Jure si εἶχε mutasset, melius scripsisset ἦκε, ut ea evaderet sententia: an cognatus aliquis venerit, ut mecum lugeret in hujus tumuli ornamentum et honorem patris.

<sup>6)</sup> Ad ὑποκίων et ὑπολείβων Weil in Addendis et corrigendis p. 126: praepositio significat, haec postea (et sero) fieri. Mihi non placet, ὑπό potius id sonat, quod sub in succurrere vel ob in occurrere, quum de malo agitur, quod nondum accidit, ut Pers. 3, 64: „venienti occurrere morbo,“ alias saepissime. Huc pertinet, ut de aliis taceam, quod dicitur φοβείσθαι ὑπό τινος vel τινι. Est igitur hic ὑποκίων: sacrificiis offerendis praevenire fatum, quod instat.

rei cogitationem simul capessere nequeamus. Est igitur in chori verbis subjectum generalis notio ἄνθρωπος vel id quod nullam certam personam significat τις pronomen. Jam si nostrum locum respicias, facile intelliges, hic neque esse ullam generalem sententiam neque quidquam nos cogere, ut in εἶχε generalem notionem suppleamus. Sequitur igitur, ut illud εἶχε praedicetur de πλόκος et cum eo copulemus ξυγγενής, ita ut Electra cincinnum oret, si cognatus sit, secum lugeat. Cujusmodi copulatione quum Nägelsbachius ineptam sententiam effici opinatur, miror, quam sit ignarus tragicorum loquendi rationis. Tantum sane abest, ut inepte Electra cincinnum secum lugere jubeat, ut contra quae loquitur aptissima sint ad v. 195:

εἶθ' εἶχε φωνήν ἔμφορον ὀ ἀγγέλου δίκην

ubi cincinnum animatum et mentis compotem fieri cupit, ita ut quodammodo confundat cincinnum cum eo, a quo profectus est. Jam vero si respicias v. 8, ejusdem cincinni imprimis erat lugere cum Electra; erat enim πλόκαμος πενθητήριος. Cf. etiam v. 173: ἐχθροὶ γὰρ οἷς προσήκει πενθῆσαι τριχί. Quod vero conjunctum est ξυγγενής cum πλόκος, hujusmodi usus loquendi quum omnium proprius est tragicorum tum imprimis nostri poetae. Similiter se habet Prom. v. 855: φεύγουσα συγγενῆ γάμον; et ut in συγγενῆ non solum latet συγγενῶν sed addito articulo opus est, ut sit τῶν συγγ. i. e. τῶν ἀνεψιῶν; sic hic ξυγγενῆς πλόκος non de cincinno cujuslibet cognati intelligi debet sed de unius atque certi cogitat Electra, ut convertendum sit: Die Lode meines Bruders. Quadrare cum sententia mea ea, quae dicuntur in v. 172: οὐκ ἔστιν ὅστις πλὴν ἐνὸς κείρατό νιν,<sup>8)</sup> ii intelligent, qui hanc fabulae partem accuratius inspicient. Cf. etiam Suppl. v. 9 αὐτογενεῖ φουξανορία. Oed. Col. v. 1387: συγγενεῖ χερὶ θανείν. Pluribus potest demonstrari, ea quae Nägelsbachius de hoc loco sentit esse falsa, sed vel ea quae dixi spero satis fore, ne quis praeter Schillerum cum eo consentiat. — Jam de verbo εἶχε nonnulla disputare debeo, cujus vim Weilius et ipse scilicet opinans, συμπευθεῖν de cincinno praedicari non posse, male intellexerit, quum ex eo ἐμοί suspensum velit et ita interpretetur: Aut, si cognatus esset, locum mihi daret una cum eo lugendi in hujus tumuli ornamentum et honorem patris. Placere hoc eis tantummodo potest, quibus non vel ipsa verborum collocatio documento est, dativum ἐμοί ad συμπευθεῖν pertinere. Mirum autem quantum fallitur, si ἔχειν locum dare significare putat et comparat Thucyd. II. 41: ἀγανάκτησιν ἔχει et κατάμεμψιν ἔχει. II. 61: αἰσθησιν ἔχει. Perperam enim contendit, ἔχει idem esse, quod παρέχει et ἔχει συμπευθεῖν ad eam loquendi rationem referendum esse, qua apud Thucydidem dicitur κατάμεμψιν ἔχειν; nam tametsi in his exemplis ἔχειν semper conjunctum est cum eis substantivis, quae per se propter naturam suam neque activa neque passiva sint, tamen res, quae ἀγανάκτησιν habere praedicatur, non ἐνεργικῶς sed παθητικῶς se habet, ut si quis latine dicit: res habet vituperationem, non vituperat sed vituperatur res. Itaque Weilius judicium si sequimur, πλόκος ita comparatus est, ut non tam lugere quam lugeri debeat, id quod a nostro loco absonum est. Ἐχειν cum infinitivo dictum saepe causam faciendi aliquid indicat, velut in Oed. Col. v. 824: τάχ' ἔξεις μᾶλλον οἰμῶζειν τάδε „mox

<sup>7)</sup> φωνῆ ἔμφορον perperam Herm. vertit „vox perspicua,“ est enim vox, qualis est hominis mentis compotis.

<sup>8)</sup> Notabilis est in hoc versu solus optativus omisso ἄν particula, cujus rei alterum exemplum apud nostrum invenimus in Prom. v. 292: οὐκ ἔστιν ὅτε μείζονα μοῖραν νείμαιμι ἢ σοί.

plus habebis causae ita lamentandi.“ Nos igitur convertimus: „aut, siquidem sit cognatus (vel fratris), habeat quod mecum lugeat, tumuli hujus ornamentum et honor patris.“ Schützius secuti, qui *τιμὴν* in *τιμῆ* mutavit. Mihi quidem tam necessaria videtur ea mutatio, ut mirer, adhuc eam et a Dindorfio et ab aliis hujus fabulae editoribus esse neglectam. Neque enim scholiastae adnotatione „*λείπει ἢ εἰς*“ acquiescere debemus, aut ita res expediri potest, ut *ἄγαλμα* et *τιμὴν* statuamus apposita esse *τῷ συμπευθεῖν*. Quod licet dici possit *τιμὴ πατρός*, tamen minime est probabile, idem *συμπευθεῖν* tumuli *ἄγαλμα* a poeta habitum esse, praesertim quum manifestum sit, nullam esse vocem, quae aptius quam *ἄγαλμα* de cincinno in tumulo deposito praedicatur. Quodsi quis de eo quem hoc vocabulum apud veteres habet usum dubitet, eum ablego ad Valck. Anim. ad Ammon. p. 169. Ruhne ad Tim. p. 5. Boeckh. Corp. Inscr. vol. 1 p. 7.

Electra igitur quamquam animo impellitur, ut eum quem in tumulo videt cincinnus Orestis fratris esse speret, tamen quum vereatur, ne a quo forte depositus sit alio, optare incipit, humana voce usus cincinnus sibi nunciet, unde profectus sit, ut omni dubitatione sublata jam aut a se respuatur aut propter cognationem habeat quod secum lugeat. Itaque quum eum *φωνὴν ἔμφορα* habere vult, hoc ideo desiderat, ut ille sibi dubitandi finem faciat, non ut secum possit lugere, errantque, si qui *ἔχω συμπευθεῖν* malint dici de eo, qui facultatem quam qui causam habeat lugendi.

## II.

In Choeph. v. 235 seq. (Dind):

ὦ φίλτατον μέλημα δώμασιν πατρός,  
δακρυτὸς ἐλπίς σπέρματος σωτηρίου,  
ἀλλῆ πεποιθὸς δῶμ' ἀνακτῆσει πατρός.

vulgata lectio manifesto corrupta est. Neque enim *ἀλλῆ πεποιθὸς* Homericum illud *ἀλλῆ πεποιθὸς* esse potest „corporis robore fretus,“ ut quae versio neque ad sententiam hujus loci quadret et ab eo quem *ἀλλῆ* apud tragicos habet usum plane abhorreat. Nam semper de externa vi ac praesidio usurpatur, nunquam de vi corpori insita, ita ut idem fere valeat, quod *ἄρωγῆ*. Sic in Suppl. v. 351: *δάμαλις ἀλλῆ πύσινος μέμυκε* „juvenca auxilio pastoris freta mugit“ et in Agam. v. 1104: *ἀλλῆ δ' ἐκὼς ἀποστατεῖ* de Oreste praedicatur. Sic etiam intellegendus est Antig. v. 1017: *τίς ἀλλῆ τὸν θανόντ' ἐπικτανεῖν* „quid praesidii est (vel quid juvat) interfectum iterum interficere?“ Proxime accedit ad hanc significationem, si de pugna dicitur in Sept. c. Theb. v. 498: *βακχᾶ πρὸς ἀλλῆν* (sc. *Ἰππομέδων*) et in v. 569: *ἀλλῆν τ' ἄριστον μάντιν*. Huc etiam pertinent duo apud Thucyd. loci: 2, 84, 2: *οἱ Ἀθηναῖοι κατέστησαν ἐς ἀλλῆν μὲν μηδένα τρέπεσθαι αὐτῶν ὑπὸ τῆς ταραχῆς, φεύγειν δ' ἐς Πάτρας κ. τ. λ.* et 3, 180, 1: *ὥστε μήτε ἐς ἀλλῆν ὑπομεῖναι κ. τ. λ.* Saepe etiam *ἀλλῆ* significat exercitum vel omnino opes et copias, quibus ad hostem arcendum opus est, ut apud Thucyd. 1, 80, 2: *πρὸς μὲν γὰρ τοὺς Πελοποννησίους παρόμοιος ἡμῶν ἢ ἀλλῆ καὶ διὰ ταχέων οἴοντε ἐφ' ἕκαστα ἐλθεῖν* et apud nostrum in Pers. v. 928: *αἰαὶ κεδνᾶς ἀλλᾶς*.<sup>9)</sup> Quodsi *ἀλλῆ πεποιθὸς*

<sup>9)</sup> Quidquid statuis de loco omnium vexatissimo Agam. v. 107, et vocabuli *ἀλλῆ* apud tragicos.

κ. τ. λ. recte vertimus: „auxilio fretus recuperabis patris domum,“ quaeritur, cujus auxilio fretus Orestes patris domum recuperaturus sit; nemo certe erit tam linguae imperitus, ut πατρός supplendum censeat. Quam ob rem non est periculum, ne quis mihi vitio vertat, si codicum scripturae lenissima mutatione ΔΙΚΗΙ substituo. Quam emendationem qui noscet, vel ideo non accedet ad Heimsoethii sententiam, qui Medicei auctoritate confirmatum μοι sine justa causa in σοι mutat et versui ἀλκῆ πεποιθώς. κ. τ. λ. statim subsequi vult

μόνον Κράτος τε καὶ Δίκη σὺν τῷ τρίτῳ πάντων μερίστῳ Ζητὶ συγγένοιτό σοι (Med. μοι);

nam inepte haec diceret chorus; „Justitia fretus domum recuperabis, dummodo Justitia tibi adsit.“ Deinde ea quam Weilius proponit transpositio ne propterea quidem fieri potest, quod sic perperam verba

ὦ τερπνὸν ὄμμα, τέσσαρας μοίρας ἔχον  
ἐμοὶ προσανδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαιῶς ἔχον  
πατέρα τε καὶ τὸ μητρὸς ἐς σέ μοι ῥέπει  
στέρηθρον · ἣ δὲ πανδίκως ἐχθαίρεται ·  
καὶ τῆς τυθείσης νηλεῶς ὁμοσπόρου ·  
πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων ·

prima post fratris agnitionem fiunt. Cui loco tantum abest ut conveniant, ut Electra longe a natura recessura fuerit, si prima exultatione fratrem tam longo et verboso flumine tamque implicata oratione, qualis est divisio personae vel nominis in quattuor partes, alloqui coepisset. Nihil est in versuum ordine mutandum, nam commodissime verba μόνον Κράτος κ. τ. λ. se adjungunt praecedentibus πιστὸς δ' ἀδελφὸς κ. τ. λ. „fidus frater eras, (tum quum venisti et adhuc es) et salutem mihi affers.“ Repraesentat enim sibi Electra id tempus, quo Orestes ex exsilio rediit. Rossbachius, qui, ni fallor, ad hos versus transponendos Heimsoethio auctor exstitit, in eo quoque fallitur, quod v. 233 et v. 234 post v. 243 collocandos judicat. Quod ipsum Heimsoethium improbare video.

### III.

Vetula Orestis nutrix obviam oblata servarum choro nunciat, (Choeph. v. 734 seq. Dind.) jussam se esse a Clytaemnestra quam celerrime Aegisthum domum arcessere, ut ipse cognosceret ex hospitibus Orestis mortem. Quo nuntio reginam summo gaudio esse affectam animo, se dolorem coram famulis simulare tristemque vultum ostentare.

ὡς . . . . τὴν νεάγγελτον φάτιν  
ἔλθων πύθηται τήνδε, πρὸς μὲν οἰκέτας  
θέτο σκυθρωπὸν ἐντὸς ὀμμάτων γέλων,  
κεύθουσ' ἐπ' ἔργοις κ. τ. λ.

usus et universa loci ratio me monet, ut etiam hic ἀλκῆ de exercitu in bellum profecto dictum putem. Ceterum taedet ineptis atque saepe etiam ridiculis hujus loci interpretationibus addere quod non sit certum atque exploratum.

Verba *πρὸς μὲν* — quum sine copula praecedentibus adjungantur, Weilius interpunctione post *τὴνδε* deleta scribit: *πύθεται. τὴν δέ* —, ut *τὴν* ad *φάτιν* respiciat eamque regina tristem coram famulis ferat (*θέτο*). Sed etiamsi *σκυθρωπός* de fama ab hospitibus allata recte praedicaretur neque ipsa verbi *θέσθαι* significatio repugnaret, vel propter sensum hanc interpretationem repudiare deberemus. Errat autem, quum asyndeton ferri non posse putat, praesertim quum ita comparata sit haec nutricis oratio, ut et verbis et sententiis manifesto vitae consuetudinem imitetur. Videmus, etiam v. 844 et v. 847 negligentius praecedentibus se applicare neque tamen propterea non recte se habere. Nec magis aegre ferre debebat augmenti in *θέτο* omissionem, qua satis notum est tragicos in nuntiorum narrationibus, praecipue in principio trimetri, uti consuesse. Cf. Pers. 310: *κύριссον*. 313; *πέσον*. 376: *τροποῦτο*. 416: *παίοντ*. 458: *κυκλοῦντο*. 490: *θάνον*. Soph. Oed. Col. 1606. Ut vero falsam ingreditur viam hujus loci sanandi, ita hoc quidem recte sentit, eum quem libri exhibent versus ab Aeschylō non posse esse profectum. Nam ut alia taceam, vix quisquam quid sit *γέλως σκυθρωπός* dicere poterit, et frustra id circumspicimus, quod verbis *πρὸς μὲν* — apte opponatur. Equidem probabile puto, *ὀμμάτων* a librario, qui genitivum post *ἐντός* desiderabat, esse corruptum ex *ὄμμα τόν*, et *ὄμμα* ad *σκυθρωπὸν* pertinere. Jam vel *ἐντός* in *ἐκτός* (foris) mutandum, ut haec sit sententia: „Foris, coram famulis, tristem gessit vultum, risum s. gaudium celans“ vel quum adverbii *ἐκτός* collocatio ei rei obstare videatur, veri similis est, *ἐντός* esse genuinum sed e suo loco ejectum, praesertim quum facile fieri posset, ut librarii oculi a syllaba *πόν* post *τόν* aberrarent. Sic igitur scribendum sit: *πρὸς μὲν οὐκέτις | θέτο σκυθρωπὸν ὄμμα, τὸν δ' ἐντός γέλων | κεύθουσ'* —. „Coram famulis tristem gessit vultum, id quod in corde habebat gaudium celans.“ De frequenti hoc verbi *τίθεσθαι* usu cf. Prom. v. 163: *θέμενος ἄγνωπτον νόον*. Utut denique res se habet, hoc pro certo habendum erit, *σκυθρωπός* non esse sejungendum a voce *ὄμμα*, sive nominativus magis placebit sive librorum lectionem *ὀμμάτων* praeferes. Quodsi quis *ὀμμάτων* tangere vereatur, is *σκυθρωπῶν* certe scribere debebit, ac, dum *ἐκτός* recipias, non prorsus ineptam hanc accipies sententiam: „Deposuit ex tristibus oculis gaudium.“ At vereor, ne *κεύθουσ'* aegre ferat ademptum objectum.

## IV.

Puellae dum intuentur velamen, quo Clytaemnestra usa est ad maritum interimendum, turpissimam Agamemnonis sortem deplorantes (Choeph v. 1007 seq. Dind).

*αἰαῖ*, inquit, *μελέων ἔργων*  
*στνγερωῶ θανάτω διεπράχθης.*

deinde sic pergunt:

*ἔξ*  
*μῖνοντι δὲ καὶ πάθος ἀνθεῖ.*

Ad *μῖνοντι* Weilius et suum secutus iudicium et scholiastae *τοιαῦτα πράξαντι χρόνῳ πάθος ἀνθεῖ* adnotantis contra eos, qui dativum ad Orestem referunt explicantque „ei qui in vita remanet“ optimo jure monet, interfectoris notionem animo esse supplendam ex superioribus, et *μῖνοντι* explicandum *χρόνῳ*, quum neque cupiant servae, Oresti mala imminere neque augerentur. Praeterit igitur eos, qui huic interpretationi repugnant, feminis velamen adspicientibus occisamque

ab Oreste reginam occurrere illud quod saepius in Aeschyli trilogia expressum est *δράσαντι παθεῖν*, utpote ante oculos re ipsa repraesentatum. Commoda sic transitio efficitur ad sequentia:

*ἔδρασεν ἢ οὐκ ἔδρασε; μαρτυρεῖ δέ μοι  
φᾶρος τόδ', ὡς ἔβαψεν Αἰγίσθου ξίφος.  
φόνου δὲ κηλὶς ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται,  
πολλὰς βαφὰς φθείρουσα τοῦ ποικίλματος.  
νῦν αὐτόν αἰνῶ, νῦν ἀποιμώζω παρῶν,  
πατροκτόνον θ' ὕφασμα προσφωνῶν τόδε,  
ἀλγῶ μὲν ἔργα καὶ πάθος γένος τε πᾶν,  
ἄξηλα νίκης τῆσδ' ἔχων μιάσματα.*

quibus jam ne ipsum quidem Orestem docemur post matris caedem fati necessitatem effugere posse sed confirmare illud *δράσαντι παθεῖν*. Namque quum servae, quae pro explorato habeant, Clytaemnestram caedem perpetrasse, non dubitent, quin merito illa poenas luerit, Orestis animus jam adeo perturbatus est, ut dubius esse incipiat, interfeceritne mater patrem. (*ἔδρασεν ἢ οὐκ ἔδρασε*) Propterea in duas quasi partes distrahitur, ut jam se laudet (*νῦν αὐτόν αἰνῶ*) jam deploret (*νῦν ἀποιμώζω*). Aptissime igitur quum sic omnia inter se cohaereant, misere Weilius sententiarum connexum turbat, quum post v. 1013 inserit eos qui in libris post v. 996 leguntur versus: *τί νιν προσειπὼν καὶ τύχῳ μάλ' εὐστομῶν*<sup>10)</sup> . . . . *θερμαῖνοι φρένα*. Sunt certe hi versus ab eo loco, quo nunc sunt, alieni, sed potius post v. 990 esse reponendos arbitror. Bene enim ibi opponuntur verbis: *τοιούτων ἂν κτήσαιο φηλήτης ἀνήρ κ. τ. λ.*, ut haec sit sententia: Fur quidem si ejusmodi dolum sibi comparavit, quo hospites e vita tolleret, hoc certe non est absolum ab ejusmodi hominis moribus neque habet mirationem; uxor vero si tam incredibile scelus commisit, ut eo uteretur ad ipsum maritum interimendum, quanta eam nequitia praeditam judicemus? Quod vero tam abrupte exorditur Orestes (*ἔδρασε* etc.) hujus rei causa non magis repetenda est ex ea in quam incidit animi perturbatione, quam ex chori postremis verbis, ad quae haec *ἔδρασε* respicere apparet. Eisdem de causis in eis quae sequuntur *μαρτυρεῖ δέ μοι* — tanta utitur breviloquentia poeta, ut ipse antehac post v. 1011 versum excidisse putaverim. Nam quum ea qua opus est sententia: „testatur mihi velamen sanguine adpersum, perpetrasse Clytaemnestram patris caedem“ parum mihi videretur expressa esse verbis *μαρτυρεῖ* . . . . *ὡς ἔβαψεν Αἰγίσθου ξίφος*, quod *ἔβαψε* sic nude positum nihil haberet, quo referretur opusque esset scitu, qua re imbutus esset gladius, Prom. versu 863 collato haec fere addi posse existimavi: *δίδηκτον ἐν σφαγαῖσιν ἄθλιον πατρός*. Sed jam mihi persuasi, nihil addere opus esse. Enimvero locus non posset stare, si *βάπτειν* semper imbuendi notionem retineret, sic enim fere vel *ἐν τινι βάπτειν* dicitur, ut in Prom. v. 863: *δίδηκτον ἐν σφαγαῖσι βάψασα ξίφος* vel *πρὸς τινι* ut Aj. v. 95: *ἔβαψας ἔργος εὖ πρὸς Ἀργείων στρατῶ*; sed usu fortasse ita factum est, ut *βάπτειν ξίφος* absolutam magis potestatem acciperet et omnino „caedem perpetrare“ significaret; ac nescio an ille in Ajante versus potius explicandus sit: „multamne stragem fecisti

<sup>10)</sup> Sic recte videtur Weilius correxisse Medicei: *προσείπω καὶ τῷ. — Arrideret sane mutatio προσειπὼν καὶ τύχῳ ἂν εὐστομῶν*, ni scholiastae adnotatio ἀπὸ τοῦ ἐπιτύχῳ εὐθιχῶς κακολογήσας nos deterreret. Cf. Agam. v. 1332: *τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος τύχοι ἂν*;

apud Argivorum exercitum?“ quam ut praepositionem *πρός* arctius cum *ἔβαψας* jungamus et idem fere valere statuamus, quod paullo infra in v. 97 ej. fab.

ἢ καὶ πρὸς Ἀτρεΐδαισιν ἤχμασας χέρα;

Jam quae sequuntur verba

φόνου δὲ κηλὶς ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται  
πολλὰς . . . .

causam adjiciunt, cur velamen caedem testari possit. Neque enim recens est sanguis adpersus sed videtur ex ea fere tempestate esse, in quam caedes Agamemnonis incidit. Eodem modo jam Wellauerus hunc locum intellexit, quum ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται exponit „cum tempore congruit.“ Est sane hic usus verbi ξυμβάλλεσθαι singularis, vixque alterum invenias plane par exemplum; neque tamen, si magis vim quam usum ejus respicis, ab hac congruendi significatione abhorret. Est enim saepe *συμβάλλειν* quod nos dicimus „zusammentreffen,“ ut in Oed. Col. v. 901. (Schneid.):

ἔνθα δίστομοι

μάλιστα συμβάλλουσιν ἐμπόρων ὁδοί,

Proculus Chrestom. ap. Bekker praef. schol. Hom. p. 1,23: οὐδὲ τοῖς χρόνοις συνέβαλον ἀλλήλοις. Neque ex alio fonte deducenda est ea significatio, quam habet apud Thueyd. 5,77,1: Καττάδε δοκεῖ τῷ ἐκκλησίᾳ τῶν Λακεδαιμονίων ξυμβαλέσθαι ποττῶς Ἀργείως et § 4: ἐπιδείξαντας δὲ τοῖς ξυμμάχοις ξυμβαλέσθαι, αἷ κα αὐτοῖς δοκῇ. Cf. Krueger. ad h. l. Nec defuerunt, qui nostro quoque loco hanc fere significationem verbum habere vellent et interpretarentur: „tempori adiutorem se praebuit,“ quae sententia videtur exquisitior, quam cui hic locus esse possit neque satis apta est ad contextum. Ut vero ξυμβάλλεσθαι hoc loco est pro ξυμβάλλειν, sic etiam non solum *συμφέρειν* hanc vim habet, ut in Aj. v. 431: τίς ἄν ποτ' ἦεν' ὅδ' ἐπ' ἀννυμον τοῦμόν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς, sed etiam *συμφέρεσθαι*, ut opponatur *διαφέρομαι*, velut in Suppl. v. 243: Μόνον τόδ' Ἑλλάς χθῶν ξυνοίσεται στόχῳ,<sup>11)</sup> ubi *συμφωνεῖν* adnotat scholiastes. Alii ξυμβάλλεσθαι „conjicere“ significare opinantur, cruorem jam conjectando tantummodo agnosci rati, et ξὺν χρόνῳ adverbialiter esse dictum. Qui si recte sentirent, pro ξὺν χρόνῳ potius καὶ χρόνῳ (etiam post longum tempus) legere deberent et *φθειρουσα* in *φθειρασα* mutare. *Ἐν χρόνῳ* est, quod latine dicitur: „cum tempore“ et idem fere sonat, quod nostrum „mit der Zeit.“ Propterea saepe „paullatim“ est, ut Soph. Aj. v. 306: ἔμφρων μολὶς πῶς ξὺν χρόνῳ καθίσταται, nonnunquam „tandem.“ Trach. v. 201 (Schneidew): ἔδωκας ἡμῖν ἀλλὰ σὺν χρόνῳ χαράν. Ad nostrum igitur locum hic adverbialis usus non pertinet. —

Versum 1015 *πατροκτόνον θ' ὕψασμα κ. τ. λ.* quum Weilius negat intelligi posse, nisi v. 997—1004 praeponantur, mihi hoc non persuadet. Cujus viri sagacissimum ingenium quo magis admiror, eo majore nonnunquam timore teneor, ne hujusmodi impetuoso, ut ita dicam, corrigendi studio Aeschyli fabulae adhuc non paucis maculis adpersae non tantum utilitatis per-

<sup>11)</sup> Mihi admodum probabile est, pro *στόχῳ*, quod recte explicari non potest, scribendum esse *στόλῳ* ut de puellis sermo sit. Cf. v. 323: *πράσσοις ἄν ὡς Ἀργείων ἀντήσας στόλον*, ubi puellae se ipsae *στόλον* appellant. Haec igitur evadit sententia: Hoc unum commune habent Graeci cum hoc agmine. Qui *στόχῳ* re-inent, facere non poterunt, quin *συνοίσεται* in *συνοίσεται* mutant.

cupiant, quantum damni faciant. Etenim ut in universa arte critica haec praescripta est lex, ne quid quoque loco rectius potuerit dici quaeramus, sed num ita sit comparata lectio, ut justam defensionem habeat, ita hic satis habebimus, si locus neque a grammatica ratione abhorrebit neque sententiarum connexum turbabit, hoc quoque simul animo reputantes, aliter loqui hominem tranquillum atque animo vehementer commotum. Ac quum non timeam, ne quis in v. 1014 *ἀσυνδέτως* praecedentibus adjuncto nimium offendat, summa quaestio quodammodo in *προσφωνῶν* versatur, quod Weilius ad *προσειπῶν* refert, hanc causam proferens, cur et v. 997—1004 hic interserat et v. 1015 *νῦν αὐτόν κ. τ. λ.* praeponat. Quae transpositio praeter textus mutationem, ad quam sic in sequentibus versibus confugere cogimur, hoc quoque affert incommodum, quod sic *παρῶν* ut prorsus languidum participio *προσφωνῶν* superadditum est. *Προσφωνῶν* autem, siquidem vera haec est poetae manus, mihi ab ea significatione quam *προσειπῶν* habet, paullulum deflectere videtur, ita ut non sit „appellans,“ eadem vi, qua est *προσαγορεύειν* in v. 95: *Λίκαν δέ νιν προσαγορεύομεν*, sed latiore hic habet potestatem, ut potius „alloqui“ explicari possit. Hoc certe vix est dubium, quin ineptissime Aeschylus locuturus fuerit, si *προσειπῶν* et *προσφωνῶν* idem significarent. Nihil igitur est causae aliquid mutandi. Etiam a grammatica ratione omnia recte se habent. Male enim meo quidem iudicio facit Weilius, quod *μέν—τε* copulationes in v. 1016 ferri posse negat; junguntur enim *γένος* et *ἔργα καὶ πάθος*, quae in unam quasi notionem coire cogitanda sunt. Multa ejus generis exempla ex Sophocle attulit Ellendt Lex. Soph. vol. II. p. 77. Noster locus non solum potest ferre hanc copulationem sed *δέ* pro *τε* substitutum vix pateretur, quum *ἔργα καὶ πάθος* et *γένος* una de causa conjunctim memorentur. Similiter Aeschylus in Sept. c. Theb. v. 924: *ὡς ἐρξάτην πολλὰ μὲν πολίτας, ξένων τε πάντων σίλχας πολυφθόρους ἐν δαί.* Quamquam, ni fallor, hujus loci paullo alia est ratio: incipit enim poeta, quasi dicere voluerit *πολλὰ μὲν πολίτας — πολλὰ δὲ ξένων κ. τ. λ.*, noto illo apud epicis dicendi genere, quod ex tragicis imprimis apud Sophoclem saepe deprehendas. etsi ne Aeschylus quidem plane caret exemplis. Sic Pers. v. 157: *θεοῦ μὲν εὐνήτειρα Πελοπῶν, θεοῦ δὲ καὶ μήτηρ ἔφης.* Alterum exemplum sed ommissa *μέν* conjunctione est in v. 403: *ἐλευθεροῦτε πάτριδ', ἐλευθεροῦτε δὲ παῖδας.* Cf. de hac copulandi forma Buttm. ad Phil. v. 827. Nonnunquam etiam non idem verbum repetitur, sed compositum prioris vel synonymum. ut Antig. v. 898: *φίλη μὲν ἤξεν πατρί, προσφιλῆς δὲ σοι* vel Oed. Col. v. 1501: *σαφῆς μὲν αὐτῶν<sup>12)</sup> ἐμφανῆς δὲ τοῦ ξένου.*

Simile exemplum est in Choeph. v. 975, ubi haec libri exhibent:

*σεμνοὶ μὲν ἦσαν ἐν θρόνοις τόδ' ἤμενοι  
φίλοι δὲ καὶ νῦν. κ. τ. λ.*

*σεμνοὶ* corruptum esse Enger et Mehler intellexerunt, neque tamen quae suspicati sunt *ξύμνοι* et *ξυνοὶ* probabilitatis speciem habent, quia non quadrat haec cum sequenti *φίλοι* comparatio. Weilius quum ea ad hujus loci ironiam non satis convenire recte monet, *κεδνοὶ* scribi jubet, Attamen vereor, ne eam quam hic intelligi vult significationem neque Aeschyli loquendi usu satis demonstret neque eo quod ex Hom. II. IX. 586 affert exemplo: *οἳ οἱ κεδνότατοί τε καὶ*

<sup>12)</sup> Haec enim genuina codicum lectio necessarie restituenda est, quam sine justa causa Naukius Reiskio auctore in *ἀστῶν* mutandam censeat. *Αὐτῶν*, ut sit pro *ὑμῶν αὐτῶν*, rectissime hoc loco se habet, non

φιλάτοι ἦσαν ἐπάντων. Habet quidem κεδνός ex tragicis imprimis apud Aeschylum frequentissimum usum sed ita, ut semper „carus“ vel „jucundus“ possit transverti, ut in Agam. v. 622: πῶς δῆτ' ἂν εἰπὼν κεδνὰ τάληθῆ τύχοις; (κερνά-jucunda) v. 648: πῶς κεδνὰ τοῖς κακοῖσι συμμίζω; ubi opponitur τοῖς κακοῖσι. Choeph v. 701: κεδνῶν ἕκατι πραγμάτων. Debat igitur poeta exprimere, cuiam cari fuissent Aegisthus et Clytaemnestra; neque enim hoc fieri potest, ut ἀλλήλοις supplendum censeas. Hic autem requiri verbum ejusdem fere significationis, quam φίλοι habet, apertum est, praesertim si rationem habes sequentium (v. 978);

ξυνώμοσαν μὲν θάνατον ἀθλίω πατρὶ  
καὶ ξυνθανεῖσθαι καὶ τὰδ' εὐόρκως ἔχει.<sup>13)</sup>

Ne ipsum φίλοι duplicem, criticorum ira deterret, quamquam ad sensum nihil rectius. Vix audeo proferre quod mihi in mentem venit, post πορθήτορας in v. 974 uno tenore a librario oculis aberrante ἤμεινοι fortasse scriptum esse, ut ex CHMENOI corruptela CEMNOI oriretur eaque genuinum φίλοι textu deturbaret. Utut res se habet, hoc quidem effecisse mihi videor, nondum prolatam esse conjecturam ad corruptum hunc locum, quae veritatis speciem prae se ferat.

## V.

In Suppl. v. 102 seq.

ιδέσθω δ' εἰς ὕβριν  
βρότειον, οἶαν<sup>14)</sup> νεάζει πνυθμῆν  
δι' ἄμὸν γάμον τεθαλῶς  
δυσπαραβούλοισι φρεσίν,  
καὶ διάνοιαν μάλιν  
κέντρον ἔχων ἄφνικτον, ἄ-  
ταν δ' ἀπάτα μεταγνούς.

solum quod jam παρ' ἡμῶν praecedit sed etiam propter oppositum τοῦ ξένου. Propter hanc enim oppositionem, ut quae nullam admittat ambiguitatem, usu venit, ut saepe personalia tamquam superflua omitantur. Ni autem praecederet jam ἡμῶν, sine sensus damno rex hoc potuit solo pronomine uti, convertit enim se maxime ad cives suos. Cf. de hac personalium omissione Herm. opusc. 1 p. 318. Similiter legitur in Eum. v. 290:

κτῆσεται | αὐτόν τε καὶ γῆν καὶ τὸν Ἀργείων λεών — ubi propter opposita, quod sciam, nemo adhuc ausus est τε in με mutare — et in Choeph. v. 225: αὐτόν μὲν νῦν ὄρωσα δυσμαθεῖς ἐμέ, | κουράν δ' ἰδοῦσα τήνδε κ. τ. λ., quem locum si quis adhuc conjecturis vexare studebit, videat, ne levitatis suspicionem subeat.

<sup>13)</sup> Conferri potest Agam. 650:

ξυνώμοσαν γὰρ, ὄντες ἔχθιστοι τὸ πρῖν,  
πῦρ καὶ θάλασσα, καὶ τὰ πλοῖα' ἐδειξάτην  
φθείροντε τὸν δύστηνον Ἀργείων στρατόν.

<sup>14)</sup> Sic recte M. Schmidt. Med. οἶα. Male Weil οἶα „quali revirescit stirps etc.“ neque enim revirescere insolentia opus est juvenili stirpi, quae jam eo processerit, ut floreat mentis perversitate. Νεάζειν autem consimili modo usurpatur ac νεανιεύειν, (Pollux 2, 20) quod non solum significat juvenem esse sed saepius etiam juvenili quadam superbia aliquid facere. Itaque idem fere valet quod τοιμαῖν, quam significationem imprimis apud Aristophanem deprehendi veteres grammatici adnotant. Est igitur πνυθμῆν νεάζει ὕβριν eodem sensu accipiendum, quo per etymologicam figuram diceretur πνυθμῆν νέος ὑβρίζει ὕβριν.

puellae conqueruntur superbum persecutorem, qui obstinato animo matrimonium ipsarum peteret, furore stimulatus, *ἄτην δ' ἀπάτα μεταγνούς*. Quae postrema verba Schützius interpretatur „sero tandem noxam (sibi fuga nostra factam) fraude nostra cognita intelligens,“ Hermannus „culpam suam sero cognoscunt fuga nostra decepti.“ Utramque explicationem vel propter verbi *μεταγινώσκω* significationem falsam esse contra eos recte monet Schoemannus. Unde autem puellae cognoverunt, persecutores jam culpam suam agnoscere? Male etiam Krusius: „Neue wird ber-einft eitler Verblendung folgen,“ tamquamsi *μεταγνούς* futuri loco esset. ATAN receptum est ex Guelferb., quod a sec. m. in ATAI mutatum est. Medic. exhibet ATAI, sed I in rasura est. Schoemannus igitur scribi vult *ἄτα δ' ἀπάτα νιν ἀγνούς*, minus sententia quam librorum auctoritate repugnante. Equidem ATAI male a correctore ex ATAC mutatum crediderim,<sup>15)</sup> et in ceteris codicum scriptura acquiescens sic verto „dolosae deae fraude mente perversus.“ Est sane *μεταγινώσκω* „mentem mutare,“ sed hoc verbum non solum in bonam sed etiam in malam partem accipi debet, prout loci ratio postulat.<sup>16)</sup> Praedicatur igitur non solum de eo, qui a perversa mente ad sanitatem redeat, — sic saepe poenitendi significationem suscipit — sed etiam, qui a recta mente ad perversitatem abducatur. Conferri potest quod Latini dicunt „vinum mutatum i. e. corruptum, depravatam.“ Aptissime sic verbis *ἄτας δ' ἀπάτα μεταγνούς* causa additur, cur juvenes *δυσπαραβούλοισι φρεσί* floreat.

## VI.

In Suppl. v. 805: *ἔλθέτω μόρος πρὸ κοίτας γαμηλίου τυχῶν* puellae patruelium matrimonio quamlibet mortem praefendam ratae sic pergunt:

*τίν' ἀμφ' αὐτᾶς ἔτι πόρον  
τέμνω γάμου λυτήρια;*

Med. *τίν' ἀμφ' αὐτᾶς ἔτι πόρον τέμνω γάμου καὶ λυτήρια* (cf. Weil), quibus adscriptum est in margine *λείπει εἴρω*, ab eo credo, qui *τέμνω* per zeugma dictum arbitratus etiam *λυτήρια* ex eo suspensum voluit. Aliter sensit Hermannus, qui ἢ *τίν' ἀμφυγᾶν ἔτ' ἢ πόρον τέμνω γάμου λυτήρια* conjicit et in strophā post *βία* inserit *με*, ita contempta codicum scriptura, ut

<sup>15)</sup> Contra I a librariis cum C littera mutatum est in Choeph. v. 843: *καὶ τόδ' ἀμφέρειν δόμοις | γένοιτ' ἂν ἄχθος αἱματοσταγῆς φόνω | τῷ πρόσθεν ἐλκαινόντι καὶ δεδηγμένω*, ubi in Dindorfii mutatione *αἱματοσταγῆς* pro *δαιματοσταγῆς* non est acquiescendum; neque enim fieri potuit, ut poeta Orestis mortem „onus sanguine stillans“ appellaret. Quod attributum potius ad *φόνω* pertinere manifestum est. Itaque scribendum est *αἱματοσταγῆ*. Pariter dictum est in Agam. v. 1309 *φόνον δόμοι πνέουσιν αἱματοσταγῆ*. In v. 843 non dubito cum Bambergero *ἐλκαινόντι* et *δεδηγμένω* scribere et ad *δόμοις* referre.

<sup>16)</sup> Opportunissime se praebet ad sententiam meam comprobendam Agam. v. 217 seq.

*ἔπει δ' ἀνάγκας ἔδν λέπαδνον  
φρονὸς πνέων δυσσεβῆ τροπαίαν  
ἄναγνον, ἀνίτρον, τόθεν  
τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω.  
βροτοὺς θρασύνει γὰρ αἰσχρομήτης  
τάλαινα παρακοπά. (n. l. ἄτα)*

Antea quidem Agamemnon mente pia erat, tum vero necessitate coactus et ad impietatem conversus mentem corruptit et audacem animum induit.

vel propterea non sit periculum, ne ejus lectio praeter *λυτήρα* a Schützio jure receptum multis probetur. Dindorfius quum, ut supra videmus, *ἀμφ' αὐτᾶς* profert, ita ut *αὐτᾶς* necessarie referatur ad praecedentia *πρὸ κοίτας γαμηλίου*, hoc per sensum fieri nequire non intellexit. Nam *πόρον τέμνειν ἀμφὶ κοίτας γαμηλίου* potius de ea praedicatur, quae consequi quam quae evitare velit matrimonium, similiter atque *ἀγωνίζεσθαι περὶ τινος* est „certare, ut aliquid adipiscaris.“ Licet autem concedere debeamus, verborum rationem non obstare, quominus interpretemur: „Quam viam aliam ingrediar de toro conjugali i. e. ut toro conjugali liberer,“ ea tamen quae subsequuntur verba *γάμου λυτήρα* inepte ac tamquam superflua addita sunt. Heimsoeth legi vult: *ὣς τιν' ἀμφὶ μου πόρον τέμνω γ. λ.* et in stropha *θυμὸν γάμου*. Contra quem Weilius recte monet, strophica optime se habere. Ipse igitur proponit: *ποῖ τιν' ἀμνηστῆς ἔτ' οἶμον τέμνω γάμου λυτήρα;* quibus mutationes nullae poterant excogitari pejores. Nam ut in Prom. v. 540 *ποῦ τίς ἀλλά;* quae conferri jubet, recte se habet duplex interrogatio, quum duae interrogationes hae „ubi est tibi ab hominibus et quale est auxilium?“ (i. e. Nullum usquam est auxilium) in unam confusae sint, hic ineptissime interrogaretur: Quo jam et quam jam viam ingrediar ad salutem ferentem? Quod autem *τέμνω* pro *τέμνω* conjicit, in eodem errore versatur, quo ceteri, ut opinor, omnes editores tenebantur. Omnes enim quum opinarentur, *καρδίας* in stropha (v. 799) trisyllabum esse, responsionis metri causa aut *κάρξας* scripserunt, ut Dindorfius, aut in antistropha mutationem necessariam putarunt, ut Hermannus, Weilius. Contra eos persuasissimum habeo, *καρδίας* hoc loco tamquam bisyllabum esse pronuntiandum, quum saepe i littera ante a velo quasi consonantis loco sit et cum sequenti vocali unam syllabam efficiat. Aristoph. ran. v. 1203 *καὶ κωδᾶριόν<sup>1</sup> καὶ ληκῦθιόν<sup>1</sup>* καὶ θυλάκιόν. Huc ex Aeschyleo revoco: Pers. v. 501: *στρατὸς, περὶ κρυσταλλοπήγᾶ<sup>1</sup> διὰ πόρον*. Suppl. v. 282: *Κῦπριός χαρακτῆρ<sup>1</sup> τ' ἐν γυναικείοις τύποις*. Eum. v. 24 *Βρόμιός δ' ἔχει τὸν χάρον*. Hic quum particula conjunctiva in Medic. desit, Hermannus ante 24 versum excidisse statuit laudatus a Weilio quamlibet scilicet ansam aucupante, quae ad probandam illam antitheticam diverbii Aeschylei compositionem conferre possit. Nos Guelferbytanum sequimur, cujus auctoritatem non cum aliis plane contemnendam censeamus, atque etiam nostro loco eam quam exhibet scripturam *τίν' ἀμφ' αὐτᾶς* etc. genuinam judicamus. Quodsi quis me librariorum veneratorem compellat, mirans, quod tantum codicibus tribuam, ne nos quidem *αὐτᾶς* ita amplecteremur, si nobis persuadere possemus, inusitatam hanc formam<sup>17)</sup> ex librariorum alicujus ingenio profluxisse, quos videamus ita non perspexisse hunc *ἑαυτοῦ* pronominis usum, ut vel invitis multis locis transitivum, quod dicunt, *αὐτοῦ* ingererent. Sic igitur chori verba interpretor: „Quam propter me aliam (praeter mortem) viam ingrediar, quae me solvat matrimonio?“ ita, ut

<sup>17)</sup> Est hic igitur nusus ex eis locis, ubi pronomem *αὐτοῦ* generalem et absolutam demonstrandi vim habeat, ut etiam pro prima et secunda sit persona. Fallitur enim Apollonius quum in libro *περὶ συντάξεως* III, 2, 195 ita loquatur, tamquamsi huic latiori potestati tantummodo in plurali numero locus fuerit: *οὐ γὰρ φάμεν ἑαυτὸν ὕβρισα ἢ ἑαυτὸν ὕβρισας ἑαυτούς* δὲ ὕβρισάμεν. Quamquam fieri potest, ut de suae tantum aetatis consuetudine loquatur. Aeschylum quidem inveni *ἑαυτοῦ* in singulari numero quatuor locis pro secunda, duobus pro prima usum esse, in plurali bis pro prima. Cf. Agam. 1141. 1297. 1544. Choeph. 111. 221. 1014: *τὴν αὐτὸν ἀνώ*. Sept. 185. Myrmid. frag. 145. (Herm.) Apud

γάμου λυτῆρα ἐπεξηγητικῶς verbis ἀμφ' αὐτᾶς addantur. Jam igitur sequitur, ut aut mutandus sit v. 797, cujus numeri absente anacrusi in basi<sup>18)</sup> a nostro discrepant, aut propter nescio quam causam responsionis legem minus diligenter observatam statuamus. Equidem nolo adscribi eorum numero, qui Aeschylum a tali licentia prorsus abhorruisse censeant. Utut vero est, hoc pro certo habeo, id quod retenta codicum scriptura τὴν ἀμφ' αὐτᾶς κ. τ. λ. existit metrum  $\cup \perp \text{---} | \perp \cup \text{---} \cup \text{---}$  puellarum de salute desperantium verbis propter praemissam anacrusin esse aptissimum. Similis tripodiam trochaic. c. basi praeterea bis apud Aeschylum invenitur, in Choeph. v. 45 *μῖλάλλει δύσθεος γυνά* ( $\cup \perp \text{---} | \perp \cup \text{---} \cup \text{---}$ ) et Ag. v. 407 *βέβακεν ὄμιφα διὰ πύλων* ( $\cup \perp \text{---} | \perp \cup \text{---} \cup \cup \text{---}$ ).

## VII.

Quae precatur altera puellarum pars in v. 1067 seq.:

*Ζεὺς ἄναξ ἀποστεροίη γάμον δυσάνορα  
δαῖον, ὅσπερ Ἰῶ  
πημονᾶς ἔλυσαι εὖ χειρὶ παιωνία κατασχεθῶν,  
εὐμενεῖ βία κτίσας,*

ea emendationis indigere praeter Paleyem non facile quisquam negabit. Mirum sane quantum ille fallitur, si novo hoc ac singulari interpretationis genere κτίσας explicari posse judicat: „ποιήσας sc. liberationem Jonis.“ Hermannus autem, quum hoc participium non habeat nomen, ad quod pertineat, pro κατασχεθῶν scribendum καταστροφάν proponit, quod in medio relinquit commutationem veritas an perfugium. Haec posterior interpretatio vel propter sequentia εὐμενεῖ βία stare nequit; quid enim ita sit „benevola vi Junoni perfugium condere,“ non possum assequi. Sed ne prior quidem conversio satis aptam efficit sententiam; nam sic πημονᾶς animo supplendum est eaque existit importunitas, ut quod est definite expressum verbis πημονᾶς ἔλυσαι εὖ, generaliter atque inutile repetatur. Jam id quod maxime deterret, quominus Hermannii conjecturam probemus, ne a diplomatica quidem ratione aliquid sumit praesidii. Contra neque verisimile est κατασχεθῶν, quod verbum non ita frequentem usum apud tragicos habet, a librario cum καταστροφάν esse commutatum neque propter significationem fieri potest, ut κατασχεθῶν ortum sit ex glossemate, quo καταστροφάν κτίσας explicetur. Majorem probabilitatis speciem prae se fert Weillii conjectura κατάσχετον κτίσας „malum

Sophoclem ejusmodi exempla sunt Aj. 1132. (Schneidew.) Oed. Col. 930. 1356. Trach. 451 (male Schneid. αὐτόν), Oed. Tyr. 138. El. 285. Qui omnes loci ita sunt comparati, ut manifestum sit, utrumque poetam, nisi ubicunque versus numerorumque ratio postulabat, ἑαυτοῦ de prima et altera persona non usurpasse. Quoties enim per metrum licebat, utra forma adhiberetur, semper usitatorem de industria praelatam videmus. Quodsi recte sentio, in Oed. Col. v. 853 *ὀθούνε! αὐτὸς αὐτόν οὔτε νῦν καλὰ | ὄρεῖς*, editoribus αὐτὸς αὐτόν scribendum fuisse facile quis credat, praesertim quum fieri possit, ut praecedens σ libraribus fraudi fuerit. Tamen nihil est opus mutatione. Tantopere enim placebat Graecis ἑαυτοῦ formam arte apponere determinativo pronomini et litteris et potestate consimili, ut nonnunquam a sollemni usu recedere mallet poeta quam hanc conjunctionem mittere. Cf. Prom. v. 762 *πρὸς αὐτὸς αὐτοῦ* pro αὐτὸς πρὸς αὐτοῦ. (Med.)

<sup>18)</sup> Ne quis πρὶν ἢ δαίτηρος βία legat, obstat grammaticorum doctrina πρὶν ἢ Atticorum usui abjudicantium. Cf. tamen Thucyd. 5, 61, 1 *πρὶν ἢ Μαντινῆς καὶ Ἡλείοι καταγράμασαν δεόμενοι*.

sistendo," quorum interpretationem *κατασχεθών* censet ex margine in textum irrepsisse et *κατάσχετον* e suo loco removisse. Mihi quidem primo eo magis placuerunt ea, quod Aeschylum cognovi amantem esse hujus constructionis, quam *κίττειν* hic habere putatur. Vide v. 634 *πυρίφατον πόλιν κίττειν* „urbem incendere.“ Eum. v. 714 *χρησμούςσ ἀκαρπώτους κίτται*. Nunc postquam accuratius locum exploravi, falso mihi videtur Weilius cum Hermanno verba *χειρὶ παιωνία* praecedentibus adjungere; languent enim manifesto post *εὖ* et cum *ἐλύσατο* conjuncta malam cum *κατασχεθών* optimam efficiunt sententiam.<sup>19)</sup> Praeterea vel ipsa verborum collocatio repugnare videtur, ne *χ. π.* ad praecedentia pertinere putes. Quodsi *κατασχεθών* genuinum ducimus, non tamen aut Hermanno assentimur, qui hoc participium ad *γάμον* refert, ita ut puellae rursus incipiant de se ipsis loqui, aut Paleyo *παύσας αὐτήν* adnotanti. Vix fallar, si *κατασχεθών* contendam retinendi vim tenere et de Jonis cursu (*δρομόν*) hic esse sermonem. Simillimus est locus in Choeph v. 795:

Ἴσχε δ' ἀνδρὸς φίλου πῶλον εὖνιν ζυγέντ' ἐν ἄρματι  
πημάτων ἐν δρόμῳ προστιθείς  
μέτρον κ. τ. λ.

Similiter ut hic *χ. π. κατασχεθών* dictum est in v. 313 *ἐφάπτω χειρὶ*. Prom. v. 848.

ἐνταῦθα δὴ σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα  
ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θυγῶν μόνον.

Jam igitur opus erit aut *κίττας* commutare cum ejusmodi verbo, cujus objectum Jo esse possit, aut ipsi participio objectum quaerere. Illud quum prorsus nihil habeamus, quod in suspicionem vocemus, praecedentia *εὐμενεῖ βία* mutare debemus, potuitque fieri, ut Aeschylus *εὐμενῆ βίαν* scripserit eodem fere sensu, quo dictum est in v. 796 *ἐν δρόμῳ προστιθείς μέτρον* „mitigans Jonis furorem,“ quae verba aptissime adjunguntur praecedentibus. Neque opus est monere, persaepe a librariis numeros esse mutatos. Haec igitur precantur puellae: „Jupiter prohibeat a nobis inimicorum virorum matrimonium, ut qui idem Jonem calamitate liberaverit, salutifera manu currentem retinendo atque animi ferociam mitigando.“ Si quis vero de ea, quam hic habere autumo significatione vocabuli *βία* dubitat, is alegandus est ad ejusdem fabulae v. 756 *βία δ' ἀπημάντω σθένει καὶ θείαις ἐπιπνοίαις παύεται*, ubi *βία* item *νόσον* Jonis significans immerito Hermannum offendit. Proxime accedit ad hanc potestatem, si in Soph. El. v. 715 *πῶλοι βία φέρειν* praedicantur. Denique ea quae bovem invitam agitat ferocia vel furor non minus recte *εὐμενής* vel *δυσμενής* dicitur, quam Erinyes sceleratorum agitatrices a Graecis *Εὐμενίδες* sollemniter appellabantur. Cf. etiam *δυσμενεῖς λύπαι* Eurip. Andr. v. 1092.

<sup>19)</sup> Vix etiam credam, *πημονὴν κατάσχετον κίττειν*, ut idem fere sit quod *π. καταπαύειν*, dici posse.

# I. Lehrverfassung

von Ostern 1867 bis dahin 1868.

## Prima.

**Religion** 2 Stunden. Sommersemester: Der Glaubenslehre erster Theil nach Hollenberg, § 158 bis 166, Lectüre der beiden Corintherbriefe, des Galaterbriefes, der beiden Briefe an die Thessalonicher. Koch. Wintersemester: Die Lehre vom Sündenfall und der Vorbereitung des Heiles nach Hollenberg, § 166 ff. Eingehende Erläuterung des 2. und 3. Artikels, Lectüre des Johannisevangelium. Schenck. Prediger Lange.

**Deutsch** 3 Stunden. Philosophische Propädeutik. 1 St. Uebersicht der älteren deutschen Literatur bis zur zweiten schlesischen Dichterschule. 1 St. Anleitung zum Verständniss deutscher Dichter und Prosaiker; Correctur der deutschen Aufsätze. 1 St. Anderssen.

**Lateinisch** 8 Stunden. Horat. Carm. I 18 bis 38 (ausser 19, 25, 30, 33, 36). Carm. II 1 bis 20 (ausser 4, 5, 8, 11). Carm. III 1 bis 4. Mit lateinischer Interpretation; die Mehrzahl der Oden wurde memorirt. 2 St. Tacitus annal. I c. 56 bis II c. 47, Cicer. Verrin. V. 4 St. Extemporalia, zu denen hauptsächlich die Privatlectüre benutzt wurde (Cic. de off. II), abwechselnd mit der Correctur der häuslichen Exercitia. I. St. Mündliche Uebersetzungsübungen aus Seiffert's Uebungsbuch, verbunden mit der Wiederholung und Erklärung schwieriger Abschnitte der Syntax; Correctur der freien Arbeiten. 1 St. Lange.

**Griechisch** 6 Stunden. Ilias IX bis XV v. 390 (I als Privatlectüre.) 2 St. Thuc. VI c. 1—59 und II c. I—46. 3 St. Wiederholungen aus der Syntax, Exercitien und Extemporalien. I. St. Gädke, von Neujahr ab Hirsch.

**Hebräisch** 2 Stunden. Wiederholung der regelmässigen und Einübung eines Theils der unregelmässigen Formenlehre. Lesung des zweiten Viertels von Gesenius hebräischem Lesebuche. Magnus.

**Französisch** 2 Stunden. Grammatik nach Plötz II. Lection 58—75 nebst Repetitionen aus den andern Gebieten der Grammatik. Lectüre aus Herrig La France littéraire. Exercitien und Extemporalien. Markgraf.

**Geschichte und Geographie** 3 Stunden. Geschichte der neueren Zeit von der Reformation bis zum Ende der Freiheitskriege. Wiederholungen aus der alten und preussischen Geschichte, sowie aus der Geographie von Europa. Lehrbuch von Pütz, Tabellen von Hirsch. Markgraf.

**Mathematik** 4 Stunden. Stereometrie und Uebungen in der Lösung von Aufgaben aus allen Theilen der Elementar-Mathematik. 2 St. Die Zins- auf Zinsrechnung, die allgemeinen Eigenschaften der Gleichungen, arithmetische Reihen des zweiten Ranges, die Lehre von den Permutationen und Combinationen und der binomische Lehrsatz. 2 St. Anderssen.

**Physik** 2 Stunden. Im Sommersemester mathematische Geographie. Im Wintersemester die Lehre vom Magnetismus und von der Electricität. Anderssen.

